



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Arbor Vitæ Sive Vita Et Doctrina Christi**

Ex Quatuor Evangeliiis In Meditationes Quotidianas Velvti Totidem Ramos  
Distributa

**Illsung, Jakob**

**Dilingæ, 1693**

Meditatio CCXCV. Christus orat in Monte, ac Regios honores fugit.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-60727](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-60727)

PUNCT. III. *Ut autem impleri sunt, dixit Discipulis suis: Colligite, quæ superaverunt fragmenta, ne pereant. Collegerunt ergo, & impleverunt duodecim cophinos fragmentorum, ex quinque panibus ordeaceis, quæ superaverunt his, qui manducaverant. v. 12.* Ista multiplicatio, ut tot homines satiarentur, & tot fragmenta redundarent, facta est per ipsam actualem distributionem. Unde si modicum quidem habes, & illud indigentibus liberaliter communicas, id ipsum per DEI Benedictionem tibi multiplicabitur; sive istud sint bona quædam corporalia, sive Spiritualia, ut vires animi, & Scientia. Lumina etiam Spiritualia tempore Meditationis, Lectionis &c. percepta, fragmenta quædam sunt, quæ in libellum colligenda sunt, ne pereant; præsertim si sint solidus panis Animæ. De piscibus autem non dicitur aliquid superfuisse, quia nutrimenta necessaria potius, quàm gulæ oblectamenta in futurum usum reponenda sunt; & in cibo capiendo magis necessitati, quàm voluptati serviendum.

## MEDITATIO CCXCV.

*Christus orat in Monte, ac Regios honores fugit.*

Marc. 6. v. 45. Matth. 14. v. 22. Joan. 6. v. 15.

PUNCTUM. I. *Et statim coëgit (Matthæus dicit: compulit) Discipulos suos ascendere navim, ut præcederent eum trans fretum ad Bethsaidam, dum ipse dimitteret populum.* Marc. 6. v. 45. Considera 1. Sicut nos homines, etiam si omnia, quæcunque erga Proximum præstamus, acceperimus à DEO, & solum simus ministri atque



que dispensatores Mysteriorum DEI, tamen ab hominibus pro functionibus nostris gratitudinem, laudem, honorem, obsequia, remunerationem expectamus. Sic Apostoli, etiamsi non sua Virtute, sed Christi Potentiâ in manibus suis multiplicatos panes populo distribuerint, poterant à populo aliquid prædictorum expectare; & ideo statim, ne quidquam talericiperent, Christus illos coëgit & compulit navam ascendere. Considera 2. ac inverte similitudinem. Sicut Apostoli, distribuentes à Christo miraculose multiplicatos panes, imprudenter quidquam sibi ascriptis, aut aliquid prædictorum expectassent, vel desiderassent; sic etiam, si DEVS multa & præclara per nos erga Proximum præstet, dum docemus in Scholis, prædicamus in Templis, vel alijs officijs egregiè fungimur, pari imprudentia nobis quidquam adscribimus, aut quidquam ab hominibus expectamus. Itaque non ægrè feramus, si post præclare præstita in uno loco, statim aliò mittamur, & si à nemine quidquam gratitudinis recipiamus. Non enim nostra, sed aliena dedimus; & si quid meriti sumus, non ab hominibus præmium recipiamus, sicut nec Christus Regium honorem sibi deferendum accepit, sed à Patre Cælesti, laborum & Beneficiorum Proximo præstitorum remunerationem expectavit; apud quem nec pro potu aquæ frigidæ, tantum in nomine discipuli dato, perdemus mercedem.

PUNCT. II. *Et cum dimisisset eos, abiit in montem orare.* Marc. 6. v. 46. Ecce Discipulis & turbâ prius dimissis, noctis silentio, in montem post diurnam de fatigationem ad orandum Christus ascendit: quo exemplo nos docet, consuetum Orationis, & Spiritualium



tualium Exercitationum pensum, officiorum nostrorum functionibus impeditum, proximo tempore compensare; & ut Oratio attentè ac devotè peragi possit, negotia nostra componere, distractionum turbam dimittere, tempus & locum opportunum Orationi deligere, ac in montem, mentis super omnia terrena elevatione, ascendere.

PUNCT. III. Aliam causam ascensûs Christi in montem indicavit S. Joannes. c. 6. v. 15. *JESVS* ergo cum cognovisset, quia venturi essent, ut raperent eum, & facerent eum Regem, fugit iterum in montem ipse solus. Ideo nempe populum prius dimisit, & mox in montem fugit, ut animo à turba hominum segregato, & ad Cœlestia elevato Orationi vacaret, & mundani Regiminis honorem sublimiore mente despiceret. Ideo autem dicitur in montem fugisse solus, quia pauci sunt, qui cum Christo honores despiciunt. Fuge ergo & tu in montem solus, superior aliorum hominum judicijs, & honoris appetitu.

## MEDITATIO CCXCVI.

*De Sedata nocturna maris tempestate.*

Matth. 14. v. 24. Marc. 6. v. 47. Joan. 6. v. 18.

PUNCTUM I. *Et dimissâ turbâ* (quam quinque panibus & duobus piscibus miraculosè multiplicatis refecerat) *ascendit in montem solus orare. Vespere autem facto solus erat ibi. Navicula autem in medio mari iactabatur fluctibus* (in quam scilicet compulit JESVS Discipulos ascendere, & præcedere eum trans fretum) *erat enim contrarius ventus.* Matth. 14. v. 23. Sic postquam